



22

Synopsis
THE SIVM DE
METHODO CONCIO-
NANDI,
VVVRZENÆ:

In conuentu omnium pastorum
Ephoriæ Misnensi subiectorum ad
amicam συζήτησιν.

*Proposita anno æræ Christianæ
1603. die Iacobi.*

à

VVolfgango Mamphrasio
D. Theologo & Superintendente
Episcopatus Misnensis.



T 162

(22)

L I P S I Æ

MICHAEL LANTZENBERGER
EXCVDEBAT.

Impensis Iohannis Börneri.

T 162





REVERENDO ET EX-
CELLENTISSIMO VIRO D. POLYCARPO
LYSBRŌ, S. S. Theologiæ Doctore eximio, & Eccle-
siastæ Illustriss. aulæ Dresdensis primario, &c.
Domino Mæcenati, & amico suo pluri-
mùm suspiciendo.

Reverende & excellentissime Domine Doctore, Annus
elapsus, 1602. nobis est ἀξιωματικὸς & fatalis, nam uterq;
nostrum practicaimus ἐν αὐτοπειρίᾳ illud Psalmi 68. Mirabilis
Deus in sanctis suis, Deus Israël, ipse dedit fortitudinem & virtu-
tem: ipse imposuit nobis onus, sed fuit, & est salus nostra: Ipse mortificavit
nos & vivificavit nos. Laudetur itaq; Dominus pro mirificatione miraculo-
sa in eternum &c. Cum autem, Clarissime Domine Doctore, ad operas Eccle-
siasticas quasi postliminiò redirem, venit mihi in mentem querimonia quo-
rundam pastorum de nova methodo concionandi. Nam multi tyrones Theo-
logiæ, qui vnciolas ingeniolì sui à Deo sibi concessas, publico fœnori collocare
satagunt, ad plebem peregrino idiomate vtuntur, conciones gnomis & dictis
Ethnicorum complent, quibus magis superbiunt quàm inseruiunt, magis bla-
terant quàm informant. Quapropter Synopsis thesium de methodo con-
cionandi consignare, & pastoribus diœcesi Misnensi addictis proponere volui,
vt inflammarem excellentissimorum virorum animos ad perpendenda mala,
imminentia Ecclesiæ, nisi moderatio adhibeatur: hasce Theses T. R. D. quæ
non solum de scholis & communibus studijs, sed etiã de veris Christi Ecclesijs,
optimè meretur, deuotè inscribo & consecro. Spero autem, hunc laborem
tibi in hoc seculo, tanquam Athleta inter præcones verbi diuini exercitatissimo,
gratum & acceptum fore, cum eodem via sternatur, ad eliminandas pericu-
losas methodos, & potius gloria Dei quàm ostentatio ingeniolì, potius ædifica-
tio quàm perturbatio Ecclesiæ queratur. Vale vir Eximie Polycarpe in Do-
mino πολυκάριος καὶ εὐδαίμων. Signatum VVurzela 1603. 14. Julij.

SYNOPSIS

Thesum de methodo concionandi.

PRIMò ponitur thema, quod non est propositio vt quidam volunt, sed partes concionis sunt sex: 1. Exordium, 2. Narratio seu recitatio textus, 3. Propositio. 4. Confirmatio. 5. Confutatio. 6. Peroratio, de quibus vide Rethores, & præstantissimos Theologos D. D. Iacobum Andreae, VVellerum, Hunnium, Osiandrum, & alios.

II. Duæ sunt partes ^{confirmationis} concionum: 1. Analysis seu paraphrasis textus. 2. Doctrinæ seu loci communes. Nam quasi prælo & torculari premendus est textus, vt eliciantur loci doctrinæ.

III. Semper doctrinis plus tribuatur temporis quàm textus explicationi & paraphrasi. Hac in parte vsus est homiliticus, scholis dispositiones & paraphrases seruiunt, concionibus doctrinæ & loci communes, cauendumq; est ne sint πλείω τὰ πάρεργα τῶν ἔργων, ne fiat idem quod cocis ineptis, qui multum iusculi, parum carniū apponunt. Sunt autem quintuplices loci communes: 1. διδασκαλικός. 2. ἐλεγχτικός. 3. ᾠδαμυθητικός & ᾠδακλητικός. 4. ἐπανορθωτικός. 5. παρανετικός. Sic scribit Paulus Rom. 15. Quæcunq; scripta sunt, in nostri utilita-

tem scripta sunt, vt per patientiam & consolationem, διὰ τῆς ὀδύνης, scripturarum spem habeamus, 2. Timoth. 3. Omnis scriptura, dicitur, θεόπνευστος est, utilis πρὸς διδασκαλίαν, ad doctrinam, πρὸς ἔλεγχον, ad redargutionem, πρὸς ἐπιτίθωσιν, ad correctionem vitæ, & cum hac conuenit 1. Cor. 10. πρὸς νουθεσίαν, ad admonitionem, πρὸς παιδείαν, ad institutionem vitæ. Nam παιδεία significat propriè disciplinam, id est, morum gubernationem, quæ fit per assuefactionem, quotidiana exercitia, tempestiuas castigationes, & exempla, 1. Cor. 14. Qui prophetat, ad ædificationem, exhortationem, & consolationem, πρὸς ὀδύνησιν & παραμυθίαν.

IV. Vt in paraphrasi textus Grammaticum examen coram populo non instituendum, nec variæ sunt interpretum sententiæ commemorandæ, quæ omnia in scholis & domi suscipi possunt, sed populariter verbis captui plebis idoneis germana textus sententia reddenda est: ita in citatione testimoniorum verbi retineatur hypotyposis verborum sanorum, & caueatur 1. ne erretur in allegatione capitis, 2. ne truncatim, 3. ne perperam citentur.

V. Vocabula artis coram plebe solis doctis nota omittantur. Ergo stolidè sibi eruditionem venditant coram populo, qui blaterant: hoc est argumentum

tum ab honesto, à decoro, à maiori, &c. Nam illa vocabula artium artificialia & transmarina non solum cursum concionis intersecant, sed etiam plebem turbant.

VI. Linguis ignotis in publico non agatur, hinc conciones non sunt peragenda lingua ignota & peregrina. Nam Idiota linguæ peregrinæ ignarus, nihil inde percipit emolumenti, Hinc Apostolus in concionibus, germanicas vel latinas allegare sententias coram ijs, qui earum linguarum ignari sunt, censet ἀτοπον 1. Cor. 14. & ἀκαρπov. Huc pertinent verba D. Hunnij, 1. Cor. fol. 518. Improbatur etiam eorum concionatorum præpostera consuetudo, qui non contenti rudi vulgo loqui lingua vernacula, immiscent subinde verba latina, imò sententias haud rarò integras, quæ peregrino idiomate prolata à populo non percipiuntur, idq; faciunt non aliqua necessitate, sed vel ex præpostera consuetudine, vel mera ostentatione. Hoc non fatitavit Paulus, nec vllus apostolorum, nec Christus, sed lingua sunt vsi suis auditoribus, quibus prædicabant verbum, intelligibili, vt & prophetæ olim in suis concionibus linguas peregrinas & populo ignotas minimè immiscuerunt.

VII. In adhortationibus & cohortationibus non proponendæ sunt morales γῶμαι & poemata ethnicorum, sed apophthegmata Spiritus Sancti, vt de

A 3

Petro

Petro extat, ἀπεφθέγγατο αὐτοῖς id est, non nuda verba,
sed apophthegmata recitabat, & mandat, vt si quis
loquatur, loquatur eloquia Dei. Paulus quidem
ex Epimenide citat versum heroicum: κρήτες αἰεὶ φεύ-
σαι, κακὰ θηρία, καὶ ἄλλοι δόρυ. Ex Arato Actorum 17. Ἐ-
γὼ μὲν γένεσθαι, & 1. Cor. 15. citat versiculum lambi-
cum in Comœdia Menandri, φθείρουσιν ἢ θη κακὰ ὁμι-
λίας κακὰ, corrumpunt bonos mores colloquia pra-
ua, sed Paulus hoc fecit suo consilio pro ratione e-
ius temporis ac personarum ad quas scripsit, quæ
nuper erant ex Paganismo conuersæ, & his ipsis e-
rant admixti plures Ethnici, vbi proderat gentiles
ex scriptis gentilibus redargui: Quia verò nobis
negotium est cum ijs, quibus autoritas veræ reli-
gionis constat, ideò oracula Spiritus Sancti profe-
rantur, ne auditores turbentur. Est quidem lectio
profanorum autorum, etiam Christianis concessa,
sed coram plebe eosdem citare aliud est; interdum
tamen, sed parcè & sobriè, possunt allegari, cum ar-
gumentamur à comparatis, à minori ad maius.
Hinc rectè scribit D. Hunnius ad Cor. 6. 19. Interim
non probamus eorum κακοζηλίαν, qui in concionib,
coram rudi populo sententias profanorum auto-
rum citant. Non enim omne quod in scripture,
aut etiam orationibus ad literatos concessum est,
protinus referendum est ad popularem illam ra-
tionem concionandi coram imperita plebe. Et ha-
buit Paulus suum consilium, in huiusmodi allega-
tioni-

tionibus, quoniam vel ethnicos ex Ethnicorum scriptis conuicit, vel Athenienses ex Arato, Actor. 17. vel ex Ethnicismo vix dum conuersos domestico priorum Poetarum redarguit, quæ redarguendi ratio euidentiore[m] habet causam, quoniã lingua ea, qua scripserunt illi poetæ, probè nota fuerat his ad quos Apostolus dicta poetarum allegabat: Interdum tamen, sed parcè & sobriè & ferè nõ nisi comparatè, potuerunt allegari sententiæ profanorum autorum, vt si videamus gentiles solius legis naturæ ductu sententias prodidisse, tam præclaras de colenda virtute fugiendisq; vitijs: Multò magis Christiani vitam suam ad honestatis rationes componere meminerint.

VIII. In allegorijs tractandis obseruandæ sunt regulæ:

1. Allegorica rectè sunt accommodanda.
2. Expositio sit analoga fidei.
3. Non omnia dicta scripturæ in allegoricum sensum sunt pertrahenda.
4. Modus est allegorijs statuendus, iuxta Lutherum, quia allegoriæ ab hominibus prolatae nihil probant.

IX. Testimonia patrum parcè, sobriè & circumspectè, & non nisi quando rei vsus postulat, citari debent. Nam promiscua allegatione turbantur auditores. Idcirco cathedram Ecclesiæ occupent prophetae & Apostoli, Eph. 2.

X. Illæ Postillæ à Methodici iudicij vero tram-
te longè aberrant:


1. Quæ plus temporis tribuunt sæpè paraphrasi
textus quàm doctrinis.
2. Quæ sunt studiosissimæ linguarum rudi vulgo
ignotarum.
3. Quæ sunt crebræ & nimix in allegandis dictis
patrum, gnomis, & poematis Ethnicorum.
4. In citatione testimoniorum scripturæ & sæpè
historiarum Ethnicorum erraticæ.
5. In allegorijs tractandis absurdæ & nimix.


XI. Si animaduertero Synopsin hanc lectori esse
gratam & acceptam, theses de toto artificio Retho-
rico in Theologia necessario, Deo adiuuante mox
prodibunt in lucem.

F I N I S.










Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



...is
M D E
CONCIO.
I.
E N Æ:
...um pastorum
...bictorum ad
...τησιν.
...æ Christiana
...Iacobi.

Mamphrasio
perintendente
...nsis.

I Æ
ZENBERGER
BAT.
...is Börneri.

T 162

(22)

22

